Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Lv̈deri Menckenii, IC. Facvlt. Ivrid. Lipsiensis Ordinarii Tractatio Synoptica Institvtionvm Ivris Ivstinianearvm Theoretico-Practica

Mencke, Lüder

Lipsiae, MDCCXXXV

VD18 11839880

Tit. XX. De Legatis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18253

Visual Library

TIT. XX.

De Legatis.

Continuatio.

POST hæc videamus de *legatis:* quæ pars juris extra propositam quidem materiam videtur: nam loquimur de iis juris figuris, quibus per universitatem res nobis acquiruntur. Sed cum omnino de testamentis, & de heredibus, qui testamentis instituuntur, locuti simus: non sine causa sequenti loco potest hæc juris materia tractari.

Definitio.

Ex Modest. l. 36. ff. de leg. 2.

1. Legatum itaque est donatio quædam a defuncto relicta, ab herede præstanda.

De antiquis generibus legatorum sublatis.

2. Sed olim quidem erant legatorum genera *quatuor:* per vindicationem, per damnationem, sinendi modo, per præceptionem: & certa quædam verba cuique generi legatorum adsignata erant, per quæ singula genera legatorum significabantur. Sed ex Constitutionibus Divorum Principum solennitas hujusmodi verborum penitus sublata est. Nostra autem * Constitutio, quam cum magna fecimus lucubratione, defunctorum voluntates validiores esse cupientes, & non verbis, sed voluntatibus eorum faventes, disposuit, ut omnibus legatis una sit natura, & quibuscumque verbis aliquid relictum sit, liceat legatariis id persequi, non solum per *actiones personales*, sed etiam *per in rem*, & *per hypothecariam.* Cujus Constitutionis perpensum modum ex ipsius tenore perfectissime accipere possibile est.

** v. L. 1. C. comm. de leg.*

Collatio legatorum & fideicommissorum.

3. Sed non usque ad eam Constitutionem standum esse existimavimus. Cum enim antiquitatem inveni-

Landesbibliothek Oldenburg

invenimus, legata quidem ſtricte concludentem, fideicommiſſis autem, quæ ex voluntate magis deſcendebant defunctorum, pinguiorem naturam indulgentem: neceſſarium eſſe duximus, *omnia legata fideicommiſſis exæquare*, ut nulla ſit inter ea differentia: ſed quod deeſt legatis, hoc repleatur ex natura fideicommiſſorum: & ſi quid amplius eſt in legatis, per hoc creſcat fideicommiſſorum natura. Sed ne in primis Legum cunabulis permiſtim de his exponendo, ſtudioſis adoleſcentibus quandam introduceremus difficultatem, operæ pretium eſſe duximus, interim ſeparatim prius de legatis, & poſtea de fideicommiſſis tractare: ut natura utriusque juris cognita, facile poſſint permiſtionem eorum eruditi ſubtilioribus auribus accipere.

De re legata. Et primum de re teſtatoris, heredis, aliena, cujus non eſt commercium.

4. Non ſolum autem *teſtatoris* vel *heredis* res, ſed etiam aliena legari poteſt; ita, ut heres cogatur redimere eam, & præſtare; vel ſi non poteſt redimere, æſtimationem ejus dare. Sed ſi talis ſit res, cujus commercium non eſt, nec æſtimatio ejus debetur. Veluti, ſi quis campum Martium, vel baſilicas, vel templa, vel quæ publico uſui deſtinata ſunt, legaverit: nam nullius momenti tale legatum eſt. Quod autem diximus, alienam rem poſſe legari, ita intelligendum eſt, ſi defunctus ſciebat alienam rem eſſe, non ſi ignorabat. Forſitan enim, ſi ſciviſſet, alienam rem eſſe, non legaſſet: & ita Divus Pius reſcripſit. Et verius eſt, ipſum, qui agit, id eſt, legatarium, probare oportere, ſciviſſe alienam rem legare defunctum: non heredem probare oportere, ignoraſſe alienam, quia *ſemper neceſſitas probandi incumbit illi, qui agit.* *Ex Marcian. l. 21. ff. de probat.*

De re pignorata.

5. Sed & ſi rem obligatam creditori aliquis legaverit,

verit, neceſſe habet heres, eam luere. Et in hoc quoque caſu idem placet, quod in re aliena, ut ita demum luere neceſſe habeat heres, ſi ſciebat defunctus, rem obligatam eſſe: & ita Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt. Si tamen defunctus voluerit legatarium luere, & hoc expreſſerit, non debet heres eam luere.

De re aliena poſt teſtamentum a legatario acquiſita.

Ex Ulp. l. 57. de leg. 1. 6. Si res aliena legata fuerit, & ejus rei vivo teſtatore legatarius dominus factus fuerit: ſi quidem ex cauſa emptionis: ex teſtamento actione pretium conſequi poteſt; ſi vero ex cauſa lucrativa, veluti ex donatione, vel ex alia ſimili cauſa, agere non poteſt. Nam traditum eſt, *duas lucrativas cauſas in eamdem hominem, & eamdem rem, concurrere non poſſe.* Hac ratione, ſi ex duobus teſtamentis eadem res eidem debeatur: intereſt, utrum rem, an æſtimationem ex teſtamento conſecutus ſit: nam ſi rem habet, agere non poteſt, quia habet eam ex cauſa lucrativa: ſi æſtimationem, agere poteſt.

De his, quæ non ſunt in rerum natura.

Ex Pomponi. l. 24. pr. eod. 7. Ea quoque res, quæ in rerum natura non eſt, ſi modo futura eſt, recte legatur: veluti fructus, qui in illo fundo nati erunt, aut quod ex illa ancilla natum erit.

De eadem re duobus legata.

8. Si eadem res duobus legata ſit, ſive conjunctim, ſive disjunctim: ſi ambo perveniant ad legatum, ſcinditur inter eos legatum. Si alter deficiat, quia aut ſpreverit legatum, aut vivo teſtatore deceſſerit, vel alio quoquo modo defecerit, totum ad collegatarium pertinet. Conjunctim autem legatur, veluti ſi quis dicat: *Titio & Sejo hominem Stichum do, lego.* Disjunctim ita: *Titio hominem Stichum do, lego, Seio hominem Stichum do, lego.* Sed

&

& si expresserit *eundem hominem Stichum*, æque disjunctim legatum intelligitur.

Si legatarius proprietatem fundi alieni sibi legati emerit, & ususfructus ad eum pervenerit.

9. Si cui fundus alienus legatus sit, & emerit proprietatem deducto usufructu, & ususfructus ad eum pervenerit, & postea ex testamento agat: recte eum agere, & fundum petere, Julianus ait: quia ususfructus in petitione servitutis locum obtinet: sed officio judicis continetur, ut deducto usufructu, jubeat æstimationem præstari. *Ex Julian. l. 82. §. 2. de leg. 1.*

De re legatarii.

10. Sed si rem legatarii quis ei legaverit, inutile est legatum: *quia quod proprium est ipsius, amplius ejus fieri non potest.* Et licet alienaverit eam, non debetur, nec ipsa, nec æstimatio ejus. *Ex l. 13. C. h. Ex Ulpian. l. 41. §. 1. de leg. 1.*

Si quis rem suam quasi non suam legaverit.

11. Si quis rem suam quasi alienam legaverit, valet legatum. *Nam plus valet, quod in veritate est, quam quod in opinione.* Sed & si legatarii esse putavit, valere constat, quia exitum voluntas defuncti habere potest.

De alienatione, vel oppignoratione rei legatæ.

12. Si rem suam legaverit testator, posteaque eam alienaverit, Celsus putat, si non adimendi animo vendidit, nihilominus deberi, idemque Divi Severus & Antoninus rescripserunt. Iidem rescripserunt, eum, qui post testamentum factum prædia, quæ legata erant, pignori dedit, ademisse legatum non videri: & ideo legatarium cum herede agere posse, ut prædia a creditore luantur. Si vero quis partem rei legatæ alienaverit, pars, quæ non est alienata, omnimodo debetur: pars autem alienata ita debetur, si non adimendi animo alienata sit. *Ex Ulp. l. 11. § 12. de leg. 3. & L. 3. C. h.*

De

De liberatione legata.

13. Si quis debitori suo liberationem legaverit, legatum utile est: neque ab ipso debitore, neque ab herede ejus, potest heres petere, neque ab alio, qui heredis loco est. Sed & potest a debitore convenire, ut liberet eum. Potest etiam quis vel ad tempus jubere, ne heres petat.

Ex Pomp. l. 8. §. 1. de liberat. leg.

De debito legato creditori.

14. Ex contrario, si debitor creditori suo quod debet, legaverit, inutile est legatum, si nihil plus est in legato, quam in debito: quia nihil amplius per legatum habet. Quod si in diem, vel sub conditione debitum ei pure legaverit, utile est legatum propter repræsentationem. Quod si vivo testatore dies venerit, vel conditio extiterit, Papinianus scripsit, utile esse nihilominus legatum, quia semel constitit. Quod & verum est. Non enim placuit sententia existimantium, extinctum esse legatum, quia in eam causam pervenerit, a qua incipere non potest.

De dote uxori legata.

15. Sed si uxori maritus dotem legaverit, valet legatum, quia plenius est legatum, quam de dote actio. Sed si, quam non accepit, dotem legaverit, Divi Severus & Antoninus rescripserunt, si quidem *simpliciter* legaverit, inutile esse legatum: si vero *certa pecunia*, vel certum corpus; aut instrumenta dotis in prælegando demonstrata sunt, valere legatum.

De interitu, & mutatione rei legatæ.

16. Si res legata *sine facto heredis* perierit, legatario decedit. Et si servus alienus legatus sine facto heredis manumissus fuerit, non tenetur heres. Si vero heredis servus legatus sit, & ipse eum manumiserit: teneri ipsum Julianus scripsit: nec interesse, utrum sciverit, an ignoraverit, a se legatum esse.

Ex Pompon. l. 26. §. 1. de leg. 1.

Landesbibliothek Oldenburg

esse. Sed & si alii donaverit servum, & is, cui donatus est, eum manumiserit: tenetur heres, quamvis ignoraverit, a se eum legatum esse. *Ex Marcian. l. 112. §. 1. de leg. 1.*

De interitu quarundam ex pluribus rebus legatis.

17. Si quis ancillas cum suis natis legaverit, etiam si ancillæ mortuæ fuerint, partus legato cedunt. Idem est, si ordinarii servi cum vicariis legati fuerint: & licet mortui sint ordinarii, tamen vicarii legato cedunt. Sed si servus fuerit cum peculio legatus: mortuo servo, vel manumisso, vel alienato, & peculii legatum extinguitur. Idem est, si fundus instructus, vel cum instrumento legatus fuerit: nam fundo alienato, & instrumenti legatum extinguitur. *Ex Paulo l. 3. de pecul. legat. & l. 62. de leg. 1. Ex Caj. l. 4. de pecul. legat. Ex Paulo l. 1. de pecul. legat.*

De grege legato.

18. Si grex legatus fuerit, & postea ad unam ovem pervenerit: quod superfuerit, vindicari potest. Grege autem legato, etiam eas oves, quæ post testamentum factum gregi adjiciuntur, legato cedere, Julianus ait. Est enim gregis unum corpus ex distantibus capitibus, sicut ædium unum corpus est ex cohærentibus lapidibus. *Ex Pomponi l. 22. de leg. 1. Ex eod. l. 30. § 2. de usurp. & usuc.*

De ædibus legatis.

19. Ædibus denique legatis, columnas & marmora, quæ post testamentum factum adjecta sunt, legato dicimus cedere.

De peculio.

20. Si peculium legatum fuerit, sine dubio quicquid peculio accedit, vel decedit, vivo testatore, legatarii lucro vel damno est. Quod si post mortem testatoris, ante aditam hereditatem, aliquid servus acquisierit: Julianus ait, siquidem ipsi manumisso peculium legatum fuerit, omne quod ante aditam hereditatem acquisitum est, legatario cedere: quia hujusmodi legati dies ab adita hereditate *Ex Papin. l. 65 pr. ff. d. leg. 2. Ex Ulpian. l. 8 § 8. ff. d. pecul. legat.*

cedit. Sed si extraneo peculium legatum fuerit, non cedere ea legato, nisi ex rebus peculiaribus auctum fuerit peculium. Peculium autem, nisi legatum fuerit, manumisso non debetur; quamvis, si vivus manumiserit, sufficit, si non adimatur: & ita Divi Severus & Antoninus rescripserunt. Iidem rescripserunt, peculio legato, non videri id relictum, ut petitionem habeat pecuniæ, quam in rationes dominicas impendit. Iidem rescripserunt, peculium videri legatum, cum rationibus redditis liber esse jussus est, & ex eo reliqua inferre.

De rebus corporalibus & incorporalibus.

Ex Ulp. l. 41. pr. ff. de leg. 1.

21. Tam autem *corporales res* legari possunt, quam *incorporales*. Et ideo quod defuncto debetur, potest alicui legari, ut actiones suas heres legatario præstet, nisi exegerit vivus testator pecuniam: nam hoc casu legatum extinguitur. Sed & tale legatum valet: *Damnas esto heres meus domum illius reficere:* vel, *illum ære alieno liberare.*

De legato generali.

Ex eod. l. 32. §. 1. & l. 37. pr. ff. d. leg. 1.

22. Si generaliter servus, vel res alia legetur, electio legatarii est, nisi aliud testator dixerit.

De optione legata.

23. Optionis legatum, id est, ubi testator ex servis suis vel aliis rebus optare legatarium jusserat, habebat olim in se conditionem, & ideo, nisi ipse legatarius vivus optasset, ad heredem legatum non transmittebat. Sed ex[a] Constitutione nostra & hoc in meliorem statum reformatum est, & data est licentia heredi legatarii, optare servum, licet vivus legatarius hoc non fecerit. Et diligentiore tractatu habito, & hoc in nostra Constitutione additum est, ut sive plures legatarii existant, quibus optio relicta est, & dissentiant in corpore eligendo: sive unius legatarii plures heredes sint, & inter se circa optandum

[a] *v. L. ult. C. comm. de legat.*

optandum dissentiant, alio aliud corpus eligere cupiente: ne pereat legatum, (quod plerique Prudentium contra benevolentiam introducebant) fortunam esse hujus optionis judicem, & sorte hoc esse dirimendum, ut ad quem sors pervenerit, illius sententia in optione præcellat.

Quibus legari possit.

24. Legari autem illis solum *potest, cum quibus testamenti factio est.*

Jus antiquum de personis incertis.

25. *Incertis* vero personis neque legata neque fideicommissa olim relinqui concessum erat. Nam ne miles quidem incertæ personæ poterat relinquere, ut Divus Hadrianus rescripsit. Incerta autem persona videbatur, quam incerta opinione animo suo testator subjiciebat: veluti, si quis ita dicat: *Quicumque filio meo filiam suam in matrimonium dederit, ei heres meus illum fundum dato.* Illud quoque, quod iis relinquebatur, qui post testamentum scriptum primi Consules designati erunt, æque incertæ personæ legari videbatur: & denique multæ aliæ ejusmodi species sunt. Libertas quoque incertæ personæ non videbatur posse dari, quia placebat, nominatim servos liberari. Sub certa vero demonstratione, id est, ex certis personis incertæ personæ recte legabatur: veluti, *ex cognatis meis, qui nunc sunt, si quis filiam meam uxorem duxerit, ei heres meus illam rem dato.* Incertis autem personis legata vel fideicommissa relicta, & per errorem soluta, reperi non posse, sacris Constitutionibus cautum erat.

Jus antiquum de posthumo alieno.

26. Posthumo quoque alieno inutiliter antea legabatur. Est autem alienus posthumus, qui natus inter suos heredes testatori futurus non est. Ideo-

Landesbibliothek Oldenburg

que ex emancipato filio conceptus nepos, extraneus erat posthumus avo.

Jus novum de personis incertis, & posthumo alieno.

27. Sed nec hujusmodi species penitus est sine justa emendatione relicta, cum in nostro Codice * Constitutio posita sit, per quam & huic parti medemur, non solum in hereditatibus, sed etiam in legatis & fideicommissis: quod evidenter ex ipsius Constitutionis lectione clarescit. Tutor autem nec per nostram Constitutionem incertus dari debet; quia certo judicio debet quis pro tutela suæ posteritati cavere.

* *Non extat.*

De posthumo alieno herede instituto.

28. Posthumus autem alienus heres institui & ante poterat, & nunc potest, nisi in utero ejus sit, quæ Jure nostro uxor esse non potest.

De errore in nomine legatarii.

29. Si quis in nomine, cognomine, prænomine, agnomine legatarii erraverit, cum de persona constat, nihilominus valet legatum. Idemque in heredibus servatur, & recte. Nomina enim significandorum hominum gratia reperta sunt: qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest.

De falsa demonstratione.

Ex Marc. l. 33. & Cajo l. 17. de condit. & demonstr.

30. Huic proxima est illa juris regula, falsa demonstratione legatum non perimi. Veluti, si quis ita legaverit: *Stichum servum meum vernam do, lego.* Licet enim non verna, sed emptus sit; si tamen de servo constat, utile est legatum. Et convenienter, si ita demonstraverit: *Stichum servum, quem a Seio emi*; sitque ab alio emptus, utile est legatum, si de servo constat.

De falsa causa adjecta.

Ex Cajo

31. Longe magis legato falsa causa adjecta non nocet:

nocet: veluti, cum quis ita dixerit: *Titio, quia me absente negotia mea curavit, Stichum do lego:* vel ita, *Titio, quia patrocinio ejus capitali crimine liberatus sum, Stichum do lego.* Licet enim neque negotia testatoris unquam gesserit Titius, neque patrocinio ejus liberatus sit, legatum tamen valet. Sed si conditionaliter enunciata fuerit causa, aliud juris est: veluti hoc modo: *Titio, si negotia mea curaverit, fundum meum do lego.*

l. 17. §. 2. de condit. & demonstr.

De servo heredis.

32. An servo heredis recte legemus, quæritur? Et constat, pure inutiliter legari, nec quicquam proficere, si vivo testatore de potestate heredis exierit: quia quod inutile foret legatum, si statim post factum testamentum decessisset testator, hoc non debet ideo valere, quia diutius testator vixerit. Sub conditione vero recte legatur servo, ut requiramus, an, quo tempore dies legati cedit, in potestate heredis non sit.

De domino heredis.

33. Ex diverso, herede instituto servo, quin domino recte etiam sine conditione legetur, non dubitatur. Nam etsi statim post factum testamentum decesserit testator, non tamen apud eum, qui heres fit, dies legati cedere intelligitur: cum hereditas a legato separata sit, & possit per eum servum alius heres effici, si prius, quam jussu domini adeat, in alterius potestatem translatus sit; vel manumissus ipse heres efficitur: quibus casibus utile est legatum. Quod si in eadem causa permanserit, & jussu legatarii adierit, evanescit legatum.

De modo & ratione legandi. De ordine scripturæ.

34. Ante heredis institutionem inutiliter antea legabatur: scilicet, quia *testamenta vim ex institutione heredis accipiunt, & ob id veluti caput atque fun-*

damentum intelligitur totius testamenti heredis institutio. Pari ratione nec libertas ante heredis institutionem dari poterat. Sed quia incivile esse putavimus, scripturæ ordinem quidem sequi, quod & ipsi antiquitati vituperandum fuerat visum, sperni autem testatoris voluntatem: per nostram * Constitutionem & hoc vitium emendavimus, ut liceat & ante heredis institutionem, & inter medias heredis institutiones, legatum relinquere, & multo magis libertatem, cujus usus favorabilior est.

* v. l. 24. C. d. testam. quæ hujus rei meminit.

De legato post mortem heredis, vel legatarii.

35. Post mortem quoque heredis aut legatarii simili modo inutiliter legabatur: veluti, si quis ita dicat: *Cum heres meus mortuus fuerit, do lego.* Item: *Pridie quam heres aut legatarius morietur.* Sed simili modo hoc correximus, firmitatem hujusmodi legatis ad fideicommissorum similitudinem præstantes: ne in hoc casu deterior causa legatorum, quam fideicommissorum inveniatur.

Si pœnæ nomine relinquatur, adimatur, vel transferatur.

36. Pœnæ quoque nomine inutiliter antea legabatur, & adimebatur, vel transferebatur. Pœnæ autem nomine legari videtur, quod coercendi heredis causa relinquitur, quo magis aliquid faciat, aut non faciat: veluti, si quis ita scripserit: *Heres meus si filiam suam in matrimonium Titio collocaverit;* vel ex diverso, *si non collocaverit, dato decem aureos Seio;* aut ita scripserit: *Heres meus si servum Stichum alienaverit;* vel ex diverso, *si non alienaverit, Titio decem aureos dato.* Et in tantum hæc regula observabatur, ut quamplurimis Principalibus Constitutionibus significetur, nec Principem agnoscere, quod ei pœnæ nomine legatum sit. Nec ex militis quidem testamento talia legata valebant, quamvis aliæ militum voluntates in ordinandis testamen-

Landesbibliothek Oldenburg

ſtamentis valde obſervabantur. Quin etiam nec libertates pœnæ nomine dari poſſe placebat: eo amplius nec heredem pœnæ nomine adjici poſſe, Sabinus exiſtimabat: veluti ſi quis ita dicat: *Titius heres eſto; ſi Titius filiam ſuam in matrimonium Seio collocaverit, Seius quoque heres eſto.* Nihil enim intererat, qua ratione Titius coerceretur, utrum legati datione, an coheredis adjectione. Sed hujusmodi ſcrupuloſitas nobis non placuit: & generaliter ea, quæ relinquuntur, licet pœnæ nomine fuerint relicta, vel adempta, vel in alium translata, nihil diſtare a ceteris legatis conſtituimus, vel in dando, vel in adimendo, vel transferendo: exceptis videlicet iis, quæ impoſſibilia ſunt, vel legibus interdicta, aut alias probroſa. Hujusmodi enim teſtamentorum diſpoſitiones valere, ſecta meorum temporum non patitur.

I.

Legatum h. l. conſideratur tanquam ultimarum voluntatum acceſſio, idque alias modis acquirendi civilibus & particularibus annectendum fuiſſet, *PR. J. h.* Pr. I. h.

II. *Legatum, acceptum pro voluntate ultima,* eſt ſuprema *conteſtatio*, qua res alicui *titulo ſingulari verbis directis* relinquitur: *fac. l. 14. l. f. ff. d. Jur. Codicill. l. 120. ff. d. V. S.* At cum capitur *pro re legata*, eſt *donatio* quædam, *j. l. 67. §. 1. ff. d. leg. 2.* a defuncto *verbis directis* facta, ab hærede præſtanda. *§. 1. J. h. §. 2. J. d. ſing. reb. per fideic. rel.* §. 1. I. h.

III. *Legatum habet naturam æqualem jure* non veteri, quo aliud erat legatum relictum 1) per vindicationem, 2) per damnationem, 3) ſi-

§. 2. I. h. nendi modo, 4) per præceptionem; §. *II. J. h.* Sed Jure *novo*, quo *sublata* est *solennitas* verborum, unde quibuscunque verbis legari potest, §. *II. J. h. l. 21. C. h.* & *diversitas* effectus. *l. 1. C. Comm de leg.*

IV. *Ex Legatis* igitur *descendit* 1) *Rei Vindicatio*, quæ *legatario* datur adversus quemvis *possessorem* ad *rei* singularis corporalis *legatæ* testatoris propriæ præstationem. *l. 80. ff. d. legat. 2. j. §. II. J. h* 2) *Actio hypothecaria*, s. quasi serviana, ex hypotheca *legali legatariis* in reliquis defuncti bonis §. *45 ff. d. R. J.* competens, adversus *possessores* ad avocandam eorum possessionem. *l. 1 C Comm. d. legat.* 3) *Actio ex Testamento*, quæ est stricti Juris & datur *legatariis* (item fideicommissariis particularibus, §. *III. J. h.* & mortis causa donatariis, §. *1. J. d. donat.*) adversus hæredes aliasve *personas oneratas*, *d. l. 1* ad *rem legatam* &c. cum suis accessionibus præstandam. §. *II. J. h. j. l. 91. §. f. ff. d. leg. 1.* Apud *Saxones* ex Testamento indubitatæ fidei etiam *executive* experiri licet juxta *Ord. Prov. d. A. 1555 t.* versatzte Brief und Siegel.

V. *Legata fideicommissis particularibus sunt*
§. 3. I. h. *exæquata, l. 2. C. Comm. d. leg.* §. *III. J. h.* (a) *excepta forma legandi, verbis* scil. *directis* s. imperativis, cum in fideicommissis usurpentur verba precaria, §. *II. J. d sing. reb. per fideic. rel.*

(a) *Omnia Legata sunt Fideicommissis particularibus exæquata. § III. J. h. Excepta legandi forma §. II. J. de sing. reb. per fideic. rel.*

l. 1.

Landesbibliothek Oldenburg

l. 1. C. Comm. d. leg. & quod 1.) defuit legatis, repletum ex natura fideicommissorum, §. *III. J. h. j. l. 22. C. d. fideicom.* 2.) amplius fuit in legatis, per hoc crevit fideicommissorum natura. §. *III. J. h.*

VI. *Legatum versatur circa res in commercio constitutas; §. IV. J. h.* Unde re extra commercium existente legata, nullius momenti est legatum, & ne quidem ejus æstimatio debetur. §. *IV. J. h.* Scil. *legare licet* 1. *res præsentes, easque vel proprias* Testatoris; *d. §. IV. vel alienas*, aut hæredis; *d. §.* aut Extranei, vel *ratione* 1) *Proprietatis*, & cum *testator* illas *alienas* esse *scivit* (quod probandum legatario) hæres cogitur easdem redimere & præstare, vel si ipsas non possit redimere, earum æstimationem dare: §. *IV. J. h.* (*b*) *j. L. 67. §. 7. ff. d. leg. 2.* (*c*) 2) *Juris pignoratitii:* utputa, quando res creditori obligatæ sunt, ubi, cum *scivit defunctus, rem oppignoratam* esse, hæres eandem luere debet; §. *V. J. h.* nisi defunctus voluerit legatarium ipsam luere, idque expresserit. § *V. J. h.* §. 4. I. h. §. 5. I. h.

VII. *Legari* etiam *potest res legatarii*, atque tum, *si* post conditum Testamentum vivo Testatore *Legatarius* earundem *Dominus factus est ex causa onerosa;* ut Emtione, illarum pretium actione ex Testamento consequi potest. *§. VI.* §. 6. I. h.

(*b*) *Semper necessitas probandi incumbit illi, qui agit. §. IV. J. h.*

(*c*) *Non præsumitur Testator Hæredem gravare voluisse. L. 67. §. 8. ff. d. leg. 2.*

Landesbibliothek Oldenburg

J. h. (*d*) Nudæ *Proprietatis* quoque. §. *IX. J. h.* Quicquid titulo lucrativo acquisivit legatarius, ejus intuitu nulla æstimatio ipsi debetur. *d.* §. *VI. Quando duobus testamentis eadem res legata* est, & legatario ex testamento uno ejus æstimatio, non ipsa res, soluta, ex altero rem ipsam adhuc petere potest. §. *VI. J. h. j. L. 88. ff. d. V. S.* (*e*)

VIII. *Legare licet* etiam II. *res futuras*, veluti
§. 7. I. h. fundi fructus futuros, §. *VII. J. h.* atque hoc legatum ratione *transmissionis* ad hæredes est *purum*, *l. 99. ff. d. cond. & dem.* quoad obligationem & actionem conditionale. *l. 1. §. f. ff. eod.*

§. 8. I. h. IX. *Legari potest pluribus* conjunctim. §. *IIX. J h. Conjunctio* autem est duorum pluriumve *ab eodem* conditore ultimæ voluntatis, *l. 16. ff. quib. mod. usufr. vel us. am. ad eandem rem* facta *vocatio*; *a. l. 1. ff. d. Usufr. accr.* Eaque dividitur in 1) *realem*, quando pluribus diversa oratione *eadem res in solidum* relinquitur; 2) *Verbalem*, quando pluribus eadem oratione *eadem res, partibus divisis*, relinquitur; *l. 89. ff. d. leg. 3.* 3) *Mixtam*, quando pluribus *eadem oratione eadem res in solidum* relinquitur. §. *VIII. J. h.* Ista *Conjunctio tribuit* conjuncto concurrente singulis partem legati, verum *conjuncto deficiente facultatem occupandi deficientis* collegatarii *ratam* sive facta sit re tantum, s. verbis

(*d*) *Duæ lucrativæ causæ in eundem hominem & eandem rem concurrere non possunt.* § *VI. J. h.*

(*e*) *Nemo eum, qui pecuniam numeratam habet, habere dicit quicquid ex ea parari potest. L. 88. ff. d. V. S.*

tantum

tantum, ſive re & verbis ſimul, i.e. mixtim, conjunctio. *l. 89. ff. d. leg. 3. l. 142. ff. d. V. S. §. VIII. J. h. l. 16. § f. ff. d. leg. 1.*

X. Regulariter *legari nequeunt res legatarii propriæ:* ejus enim amplius fieri nequeunt. *§. X. J. h.* (*f*) Licet igitur alienatæ fuerint, nec ipſæ res debentur, nec earum æſtimatio ſolvenda eſt. *d.* §. §. 10. I. h.

XI, Legari poſſunt res *Teſtatoris propriæ ſive* Teſtator 1) *putaverit* eas *eſſe alienas:* nam plus valet quod in veritate eſt, legatum ſc. rei propriæ, quam quod in opinione, nempe legatum rei alienæ; §. *XI. J. h.* (*g*) *j.* §. 4. *J. h.* ſive 2) illas *Legatarii eſſe crediderit*, quia exitum voluntas defuncti habere poteſt. *d. §. XI.* §. 11. I. h.

XII. *Sirem ſuam legavit Teſtator, eamque* poſtea *alienavit citra adimendi animum*, §. *XII. J. h.* e. g. ex cauſa neceſſaria æris alieni, *l. 11. §. 12 ff. d. leg. 3. Legatum debetur* ſive res tota, ſive ejus pars alienata ſit. §. *XII. J. h. j. l. 76. ff. d. R. V.* (*h*) Ex facta poſt conditum teſtamentum *oppignoratione*, quia pignus in bonis debitoris manet, *l. 9. C. d. pign. act.* animus adimendi non præſumitur, adeoque hæres pignus luere tenetur. §. *XII. J. h. l. 3. C. d. leg.* §. 12. I. h.

XIII. *Legatur liberatio*, quando creditor debitori creditum legat, quo caſu legatarius ejus-

(*f*) *Quod proprium eſt alicujus, amplius ejus fieri non poteſt. §. X. J. h.*

(*g*) *Plus valet quod in Veritate eſt, quam quod in Opinione. §. XI. J. h.*

(*h*) *Quæ in tota Re obtinet, etiam in Parte intelligenda ſunt obtinere. L. 76. ff. d. R. V.*

ve Hæ-

Landesbibliothek Oldenburg

ve hæres, ex obligatione conventus, habet exceptionem doli mali, item ex testamento agere
§.13. I. h. potest, ut liberetur: §. *XIII. J. h. l. 3. §. 3 ff. d. lib. leg.* Sed *cum dilatio exactionis legata* est, Creditor a Debitore ad certum tempus debitum non exigi jubet. §. *XIII. J. h. l. 8. §. 1. ff. d. lib. leg.*

XIV. *Si debitum a debitore creditori legetur, inutile est legatum*; *nisi* plus sit in legato quam
§. 14. I. h. in debito. §. *XIV. J. h.* Proinde cum debitum, sine pignore constitutum, in diem vel sub conditione pure legatur, utile est legatum, etiamsi vivo Testatore dies venerit, vel conditio extiterit, *d.* §. quandoquidem ex legato quæritur commodum hypothecæ. *l. 1. C. Comm. d. leg.*

XV. *Quando dotem maritus uxori* suæ *legavit*, & dotem 1) *accepit*, plus est in legato quam in
§. 15. I. h. dote: §. *XV. J. h.* 2) *Si non accepit*, vel *addita* est certa rei aut quantitatis demonstratio, & debetur; §. *XV. J. h.* vel *omissa* est certæ *rei aut quantitatis demonstratio*, & *nihil debetur. d.* §.

XVI. *Legatum efficit, ut* propriæ rei pure legatæ *dominium in legatarium* post mortem testatoris *transeat*; *L. 64. ff. d furt.* (*i*) Unde *interitus* ejusdem *nocet Legatario, dummodo* sine facto heredis contigerit: Factum enim hæredis, sive sciverit, sive ignoraverit rem a se lega-
§. 16. I. h. tam esse, e idem nocet. §. *XVI. J. h. l. 25. §. 2. ff. ad*

(*i*) *Res, quæ legantur, recta via ab eo qui legavit ad eum, cui legatæ sunt, transeunt. L. 64. ff. d. furt.*

(*k*) *Factum cuique suum non adversario nocere debet. L. 155. ff. d. R. J.*

SCt.

Landesbibliothek Oldenburg

SCt. Treb. L. 155. d. R. J. (*k*) *Creditur* autem *res interiisse*, non cum ex pluribus rebus principaliter legatis una periit, §. *XVII. J. h.* sed quoties res principalis extincta est, neque enim debetur amplius accessio, e. g. servo mortuo peculium legatum, *l. 2. ff. d. pec. leg.* (*l*) *Fundo cum Instrumento* legato, fundoque alienato, §. *XVII. J. h.* aut *fundo instructo legato* fundoque *distracto*, instrumenti legatum *perit. d. §.* §. 17. I. h.

XVII. *Debentur res* principales *legatæ*, *earumque accessiones*, videlicet 1) *Grege* legato *Oves*, quæ post testamentum factum gregi adjectæ sunt. §. *XVIII. J. h.* Grege autem legato §. 18. I. h. unum quoque caput, cum grex desiit, & ad unam ovem pervenit, vindicari potest. *d. §. l. 22. ff. d. leg. 1. l. 7. §. f ff. quod cuj. univers.* 2) *Ædibus* legatis *columnæ* post testamentum factum adjectæ. §. *XIX. J. h.* 3) Peculio legato quid obtineat §. 19. I. h. circa accessiones, *vid. §. XX. conf. Tr. Syn. Inst. h. t.* §. 20. I. h.

XVIII. *Legari* etiam *possunt res incorporales*: ut nomina, & quidem *nomine legato* hæres legatario Actiones suas præstare tenetur; §. *XXI. J. h. l. 18. C. h.* nisi testator vivus pecuniam exegerit: Nam hoc casu legatum extinguitur. *d. §.* Potest etiam testator hæredem ad factum licitum, Domum alterius reficiendam vel certum hominem ab ære alieno liberandum, obligare. *d. §. XXI.* §. 21. I. h.

(*l*) *Quæ Accessionum Locum obtinent extinguuntur, cum principales Res peremtæ fuerint. L. 2. ff. de pecul. leg.*

XX.

Landesbibliothek Oldenburg

XIX. *Genere* (e. g. agro equove) *legato, legatarii* est *Electio*, nisi aliud Testator dixerit, §.
§. 22. I. h. *XXII. J. h.* & licitum est eligere *individuum* nec optimum nec pessimum. *l. 37. l. 110 : ff. d. leg. 1. Optimum* vero eligere licet, quando relictum est *Optionis Legatum, l. 9. §. 1. ff. d. dol. mal.* quod electione expressis verbis legatario relicta, datum censetur, atque ad hæredes transit, & cum legatarius plures hæredes habet, aut pluribus legatariis legata est optio, illique inter se dissentiunt in corpore eligendo, sorte dirimendum, cujus sententia in optione præcellere de-
§. 23. I. h. beat. §. *XXIII. J. h. j. l. f. C. Comm. d. leg.*

XX. *Legatum relinquitur Personis Testamenti*
§. 24. I. h. *factionem passivam habentibus*, §. *XXIV. J. h. sive certis, s. incertis.* His *olim* legatum, fideicommissum, (licet a milite) libertas, relinqui
§. 25. I. h. non poterat; §. *XXV. J. h.* Pro incerto etiam ha-
§. 26. I. h. bebatur posthumus alienus: §. *XXVI. J. h.* Ex certis personis incertæ tamen personæ recte legabatur, *d.* §. *XXV.* & valet *Jure novo* legatum *incertis personis* relictum, *modo* ex post
§. 27. I. h. facto *fiant certæ;* §. *XXVII. J. h.* idemque in fideicommissis & hæreditatibus constitutum: Attamen incertum tutotem dare haud permissum est. *d.* §.

XXI. Legare licet personis *natis* & *posthumis*, etiam *alienis*, posteaquam incertis personis legare permissum: Hæredem autem instituere posthumum alienum & ante licuit, ad effectum impetrandæ bonorum possessionis secundum

Tabu-

Landesbibliothek Oldenburg

Tabulas, *Pr. J. d. Bon. poss.* & nunc licet, Jure *civili; d. pr.* nisi in utero ejus sit, quæ uxor esse non potest: ut Sanctimonialis. *l. 5. C. d. Episc. & Cler. fac. l. 9. §. 1. ff. d. lib. & posthum. §. XXVIII. J. h.* Apud *Protestantes* etiam hanc hæredis Institutionem legatumve hujusmodi par est sustineri. *a. l. 6. ff. d. Decur.* §. 28. I. h.

XXII. *Permissum est legare liberis & servis,* non tamen servo hæredis pure, sub conditione eidem recte legatur, legatumque debetur, si tempore conditionis existentis servus in hæredis potestate non sit: *§. XXXII. J. h. j. L. 11. ff. d. leg. 1.* (*m*) Ex diverso, cum servus est hæres institutus, domino ejus etiam pure legari potest, dummodo in eadem causa non permaneat, jussuque legatarii non adeat; tum enim evanescit legatum. §. *XXXIII. J. h. j. L. 140. §. 2. ff. d. V. O.* (*n*) *Hodie* hæc non nisi ad Mancipia Turcica applicare licebit. §. 32. I. h. §. 33. I. h.

XXIII. *Legatum non vitiatur propter* 1) *errorem in nomine legatarii*, cum de persona constat. §. *XXIX. J. h.* (*o*) Idem in hæredibus servatur, *d.* §. atque hoc *hodie* merito etiam attenditur. 2) *Falsam demonstrationem supervacuam.* §. 29. I. h.

(*m*) *Ex persona sua sibi nemo obligare potest. L. 11. ff. d. leg. 1.*

(*n*) *Extinguitur obligatio, si in eum casum inciderit, a quo incipere non potest. L. 140. §. 2. ff. d. V. O.*

(*o*) *Nomina significandorum hominum gratia reperta sunt: qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest. §. XXIX. J. h.*

Est

Landesbibliothek Oldenburg

Est autem *demonstratio descriptio legatarii*
§. 30. I. h. *reive legatæ*, §. *XXX. J. h.* (p) eaque vel *necessaria*, sine qua Voluntas Testatoris intelligi nequit; §. *XX. J. h.* vel *supervacua*, sine qua Voluntas Testatoris intelligi potest. *Hæc* cum *falsa* est, ultimam voluntatem *non vitiat*, illa tamen. §. *XXX. J. h. l 17. ff. d. cond. & dem.*

XXIV. *Causa* est *ratio impulsiva*, propter quam aliquid relinquitur. Ea respicere potest tempus præteritum vel futurum, *a. XXXI. J. h.* & cum *falsa* deprehenditur, *non nocet*, quia animum puram liberalitatem exercendi non excludit, *l. 17. §. 2. ff. d. cond. & dem.* ita *resp. F. J. L. Mens. Mart. A. 701*; nisi, Testatorem conditionem expressisse, vel de ea sensisse, probetur.
§. 31. I. h. *a.* §. *XXXI. J. h. l. 72.* §. *6. ff. d. cond. & dem.* A causa differt *modus*, tanquam *causa finalis*, propter quam aliquid relinquitur. Quod si causa finalis cesset, ipsum legatum deficit, *l. 72.* §. *6. ff. d. cond. & dem. a. l. 75. ff. ad SCt. Treb.* exsolutumque, modo non secuto, repeti potest. *a. l. l. l. 2. C. d. his, quæ sub mod.*

XXV. *Quoad ordinem dispositionis* licet legatum ante & post hæredis institutiones, atque inter medias hæredis institutiones relinquere.
§. 34. I. h. §. *XXXIV. J. h.* (q) *j. l. 24. C. d. test.* Nihilo-

(p) *Falsa demonstratio (supervacua) aut falsa causa (impulsiva) Legato adjecta eidem non nocet.* §. *XXX.* §. *XXXI. J. h.*

(q) *Incivile est, scripturæ ordinem sequi, spernere autem testatoris voluntatem.* §. *XXXIV. J. h.*

minus

minus etiam *hodie* caput & fundamentum testamenti est hæredis institutio. *d.* §. *Dec. El.* 46.

XXVI. *Legatum non vitiatur, etiamsi* 1) *post mortem hæredis aut legatarii relinquatur:* Ita enim fideicommissa dare jam antea permissum erat, *l.* 5. §. 1. *ff. d. leg.* 3. §. *XXXV. J. h.* postea- §. 35. I. h.
que obligationem recte ab hæredibus inchoari voluit Justinianus in *L. un. C. ut Action. & ab hær. & contr. hær.* (r) 2) *Pœnæ nomine sit datum.* Jure sc. *veteri* neutiquam, quo sic legari prohibebatur etiam 1. Principi, 2. a Milite, 3. Libertas, & 4. Hæres adjici Pœnæ nomine non poterat, §. *XXXVI. J. h.* nec pœnæ nomine le- §. 36. I. h.
gatum adimi aut transferri: *d.* §. At *Jure novo*, quo, quicquid *ad coërcendum hæredem vel legatarium* vel fideicommissarium *dispositum* est, si quid contra voluntatem defuncti faceret, vel non faceret, ad tuendas voluntates ultimas, *sustinetur*; sive quid detur, sive adimatur, sive transferatur, *dummodo* pœnæ nomine haud disponatur in eventum, si quid *impossibile* Natura vel Jure, aut alias *probrosum*, juxta voluntatem defuncti factum non fuerit. §. *XXXVI. J. h. L. un. C. d. his quæ pœn. nom. in testam. vel codicill. j. l. 8. ff. d. cond. inst. Instr. Pac. Osn. & Mon. art.* 5. §. 30.

(r) *Licet & ab hæredibus & contra hæredes incipere actiones. L. un. C. ut action. & ab hær. & contr. hær.*

Landesbibliothek Oldenburg

TIT. XXI.

De Ademptione & Translatione Legatorum.

De ademptione.

ADEMTIO legatorum, sive eodem testamento adimantur, sive codicillis, firma est: sive contrariis verbis fiat ademptio: veluti, si quod ita quis legaverit: *Do, lego*, ita adimatur, *non do, non lego*: sive non contrariis, id est aliis quibuscumque verbis.

De translatione.

Ex Caj. l. 5. ff. d. adim. transf. leg. 1. Transferri quoque legatum ab alio ad alium potest: veluti, si quis ita dixerit: *Hominem Stichum, quem Titio legavi, Seio do, lego*: sive in eodem testamento, sive in codicillis hoc fecerit. Quo casu simul & Titio adimi videtur, & Seio dari.

I.

LEgata tolluntur I) *Ademptione*, quæ est Declaratio voluntatis, qua legatum vel fideicommissum illi, cui antea recte relictum est, ab eo, *qui hoc reliquit*, adimitur; *PR. J. h. l. 1. ff. d. adim. vel transfer. leg. & fit* 1) *Verbis*, iisque directo contrariis, aut æquipollentibus, *PR. J. h. j. l. 29. ff. d. adim. vel transfer. leg.* expressis sive eodem testamento s. codicillis *d. PR.* coram 5. testibus; *a. l. f. §. f. C. d. Codicill. j. l. 35. ff. d. R. J.* 2) *Factis*, ad ademptionem tendentibus aut *directe*, aut *indirecte*: ut alienatione voluntaria, *l. 18. ff. d. adim. vel transf. leg.* etiam *hodie*. II.) *Translatione*, quæ est ultima contestatio (e. g. coram 5. testibus facta) qua legatum antea